



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Propositum emendationis vitæ, vt subinde instaurandum sit. Cap. LIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

veniam, aut post finem horæ legas salutationem angelicam. Hoc modo subtraheo, aut dilatio cibi ad moram ante oculos positi, & non gustati, donec torquetur satis edendi concupiscentia, pœnitentia erit tibi quando esuris, pro corrigendis defectibus. Duo sunt contra pronitatem delinquendi atque recidivandi opportuna remedia. Primum est, quam cito te deliquisse senseris, doleas, atque propositum emendandi, atque post hac cauendi restaures. idq; tam devota mente firmoq; proposito, ac si nunquam cecidisses. Itaque hoc facias toties, quoties cecideris. Alterum est, vt delictum commissum absque pœnitentia inultum non finas, sed disciplinam cum virgis, aut afflicturam aliam, quam absque periculo natura ferre potest, tibi impone: aut iuxta discretionem aliqua tibi delectabilia subtrahe: aut saltem (si ijs carere non potes, vt sunt cibus potusve) ad tempus illa differ atque suspende: & hoc ad concupiscentiæ puniti-

Remedia
duo contra
recidivandi
pronitatem.

Propositum emendationis vitæ, vt subinde instaurandum sit.

CAPVT LIX.

CAue ne propter humanæ fragilitatis toties iteratæ, toties lapsæ, experientiam, has pusillanimitas, & quasi desperando à bonis cceptis deficias. Quoties cadis resurge: quoties deficias, toties animuin resume, & propositum restaura, imò toties à nouo iam tibi (quasi nunc primum incipias) leges statue. Solet enim diabolus quos tentatione non vincit, importunitate, molestia atque pugnandi tædio plerumque vincere, vt quos delectationibus, concupiscentiisq; illicere non potest, pugnandi atque resistendi frequentia fatiget. Tu igitur constans mane, & quotiescunque etiam victus fueris, arma & vires resume. Nunquam victus iudicabitur quisquis ex prælio non recessit, quisquis pugnandi animo perseverat, quamuis fortasse hostem nunquam prosternat. Et tu si pugnando etiam mortuus fueris, pugna diutina ipsa (quam Dei amore ac propter Deum sustinuisti) tibi pro victoria atque corona imputabitur. Quia verò multa sunt quæ cuiusmodi tuum propositum sit aut esse debeat, iam dicta sunt, eadem ad modum epilogi recensabo.

Victus in spiritali prælio censendus quis.

EXER-